

CAESAR: COMPLEX AND COMPELLING

(adapted from Jenney's Second Year Latin)

C. Iulius Caesar, cuius genus nobile ab Iulo Veneris nepote secutum est, natus est anno sescentesimo quinquagesimo secundo ab urbe conditā, eodem anno quo Marius matris frater Teutones apud Aquas Sextias superavit, id quod initium temporum certaminis inter Populares Optimatesque signavit, quorum hos L. Cornelius Sulla, illos C. Marius et postea L. Cornelius Cinna ducebant. Agens annum octavum decimum patrem amisit; sequente anno Flamen Dialis destinatus Corneliam Cinnae quater Consulis filiam in matrimoniam duxit, ex quā mox Iulia nata est; neque ā Dictatore Sullā ullo modo compelli potuit ut eam repudiaret.* Ergo pars diversarum partium esse ita habitus est ut etiam discedere ex medio et prope quoque nocte commutare latebras cogeretur, donec per quosdam amicos veniam impetravit. Satis constat Sullam, cum deprecantibus honestissimis et gravissimis viris aliquamdiu denegavisset atque illi pertinaciter contenderent, expugnatum tandem proclamavisse: “Abite et vobis eum ferte, dum modo sciatis eum, quem incolumem tantopere cupitis, aliquando Optimatium partibus, quas mecum simul defendistis, exitio futurum; nam Caesari multi Marii insunt.”

Mox in contubernio servivit sed modo brevi tempore; nam Sullae morte compertā Romam propere rediit ut cursum honorum inciperet.* Dum in itinere Rhodum, ab praedonibus captus est mansitque apud eos non sine summā indignatione prope quadragintā dies cum uno medico et cubiculariis duobus, nam servos ceteros initio statim ad expediendas pecunias dimiserat ut redimeretur. Numeratis deinde quinguentā talentis, expositus in litore non moratus est sed ex vestigio classe deductā abeuntis persecutus est ac redactos in potestatem supplicio, quod saepe ut iocus minatus erat, adfecit. Sed ulciscendo ingenium adeo lene erat ut hos piratas, quos se suffixurum esse cruci ante iuraverat, iugulari prius iusserit, deinde suffigi.* 265

cursum honorem: *political career*

e vestigio: *from the footprint*, a Roman way of saying *on the spot*

partium: pars in the plural can mean a *[political] party*

CAESAR: AN ACTIVE LIFE

(adapted from Jenney's Second Year Latin)

Post paucos annos Cornelia periit et Caesar Pompeiam Q. Pompei filiam L. Sullae nepotem in matrimonium duxit, quam post sex annos repudiavit, opinans eam introduxisse P. Clodium muliebri veste in Bonae Deae caerimonias, dicens: “Si Pompeia Caesaris uxor esse cupit, ea supra suspicionem esse oportet.” Dum in itinere ad Hispaniam, cum Gadis venerat, animadversā in Herculis aede Magni Alexandri imagine, ingemuit quasi ignavia sua eum taedit quod nihildum a se memorabile actum erat in aetate quā Alexander orbem terrarum subegerat.*

Romam reversus praeter Comitium ac Forum etiam Capitolium ornavit porticibus, et venationes ludosque muneraque gladiatorum edidit, ita ut in aes alienum graviter incideret. Conciliato populi favore, post duos annos officium Pontificis Maximi petivit non sine profusissimā largitione, de quā reputans magnitudinem aeris alieni, cum mane ad comitia descendebat, fertur praedixisse matri osculanti: “Nisi Pontifex deligar, domum non revertar.” Quidem duos competitores superavit et mox Praetor creatus est. Itaque modo consulatus perveniri erat reliquus ut cursum honorum expleret. Sed Caesar Senatui et Optimatibus plerisque non placuit. Secum inquit:* “Si ille homo esset consul, res novas peteret.”

Illo eodem anno Cn. Pompeius ab oriente victor rediit quo quinque annis antea profectus erat ut praedones Mithridatemque subigeret. Ad Senatores iratus qui noluerunt aut constitutiones eius sancire in oriente aut veteranis eius agros donare, pactus est cum M. Licinio Crasso divitissimo Romanorum, qui magnas pecunias Caesari commodaverat sperans: “Si Caesar consul fiat, quoque potestatem in re publicā consequar.” Crassus Popularibus partibus, Pompeius Optimatibus Senatuique favit, sed hic, qui nihil impetrare poterat cum Senatu, ad Popularis transivit.* Per Crassi divitias effectum est ut Caesar Consul crearetur, qui deinde legem tulit quā Pompeio Hispania, Crasso Bellum Parthicum, sibi Gallia tributa est. Eodem anno Pompeio Iuliam filiam in matrimonium dedit; ipse in matrimonium duxit Calpurniam L. Calpurni Pisonis Popularium fautoris filiam. Caesaris collega M. Calpurnius Bibulus ei obstare temptavit sed frustra adeo ut non nulli urbanorum hominum, cum ut iocus aliquid testandi causā signabant, Consulibus actum scriberent non “Caesare et Bibulo”, sed “Iulio et Caesare”.

Postero anno Crassus Caesarque profecti sunt in provincias;* Pompeius Romae mansit, imperio in Hispaniā per legatos fungens. Interim quisque clam secum putabat: “Si nigrum os haberem, omnipotens essem!”³⁵⁶

CAESAR: THE DIE IS CAST

(adapted from Jenney's Second Year Latin)

Nemo est quin sciat, cum res gestae Caesaris sint clarae, Caesarem provinciam minorem bellis ciendis maiorem reddidisse. Gessit novem annis quibus in imperio fuit haec: omnem Galliam, quae saltu Pyrenaeo et Alpibus et monte Cebennā et fluminibus Rheno ac Rhodano continetur patetque circuitu ad bis et triciens centum milia passuum, in provinciae formam redegit. Germanos qui trans Rhenum incoluerunt, cum ferus populus essent, tamen primus Romanorum ponte fabricato aggressus* maximis adfecit cladibus; aggressus est etiam Britannos antea ignotos superatisque pecunias et obsides imperavit.

Cum secundo anno imperi sui inimici minabantur se eum postulaturos esse et adempturos esse suos exercitus, Crassum Pompeiumque in urbem provinciae suae Lucam extractos adduxit ut detrudendorum inimicorum causā consulatum peterent, ac effectum est per utrumque ut imperium suum quinquennium extraheretur. Pompeius autem, qui Caesaris victoriis invadebat, abalienari coeptus erat adeo ut Iuliae amor solus illum impediret ut Caesarem et Crassum non relinqueret et Optimatis rediret. Duobus post annis Iulia mortua est;* Caesar ad retinendam autem Pompei necessitudinem ac voluntatem Octaviam sororis suae nepotem in matrimonium obtulit sibi filiam Pompeii uxorem petivit, sed nullo modo fieri potuit ut Pompeius se cum Senatu iungeret, praecipue cum Crassus in Bello Parthico occisus esset.

Caesar per Tribunos Plebis ad populum tulit ut absentis sibi petitio consulatus daretur. Pompei exercitibus confiso Senatus placuit Caesarem reverti iubere ante tempus imperi expletum erat. Cum hoc decretum Senatus audivit, Caesar transivit in Citeriorem Galliam Ravennaeque substitit bello vindicaturus si aliquid adversius a Senatu constitutum est.* Cum ergo decretum Senatorum nuntiatum esset, progressus ad Rubiconem flumen, qui provinciae eius finis erat, paulum constitit ac reputans quantum moliatur, conversus ad proximos inquit: "Etiam nunc regredi possumus; sed si ponticulum transibimus omnia armis agentur." Statim dubitanti ostentum apparuit: quidam miles eximiā magnitudine et formā, qui raptā a milite tubā prosiluit ad flumen et ingenti spiritu classicum exorsus pertendit ad alteram ripam. Tum Caesar inquit "Eamus quo deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat. Iacta alea est." Sic Bellum Civile coeptum est, per quod Caesar Pompeium et exercitum Optimatum ad Pharsalum superavit.*

Post bellum Romam reversus Caesar incipiebat se convertere ad ordinandum rei publicae statum, cum Idibus Martiis, quod regem se facere velle visus est, occisus est a quibusdam Senatoribus, inter quos M. Cassius et sibi amicissimus M. Iunius Brutus, quem inruentem videns fertur dixisse: "Et tu, Brute? (καὶ σὺ τέκνον?)". Cum Senatus ad Theatrum Pompei conveniret, Caesar tribus et viginti plagis confossus cecedit ad pedes imaginis inimici maximi. Sic magnus vir, multis et variis factis functus, anno sexto quinquagesimo ad quietem positus est, anno nono septingentesimo a.u.c.419